



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio VII. De Mandatis Apostolicis, sive literis beneficialibus, quæ emanant  
à Sede Apostolica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

non recipiat divisionem, ut maneat unitas: *este Glossa in relato c. V. Dividi.*

## SECTIO VII.

*De Mandatis Apostolicis, sive literis beneficiis, quae emanant à Sede Apostolica.*

## §. I.

*Quodnam sit, & dicatur Mandatum Apostolicum, & quot sint genera, seu speciei huiusmodi Mandatorum, seu literarum beneficiarum?*

**M**andatum Apostolicum dicitur illud rescriptum hoc loco, quo Pontifex concedit alicui facultatem conferendi beneficia vel mandat alicui conferri beneficium in aliqua Ecclesia *c. Mandatum. 38. de rescriptis.* quae literae solent etiam Mandata Apostolica de providendo, vel etiam Gratiae expectativae dici & olim triplicis generis erant, monitoriae, praepetoriae, & executoriae, quarum tamen vix hodie usus est. Quae tamen mandata hodie adhuc in usu sunt, & pro beneficiis vacantibus impetrantur sunt in multiplici differentia, ita ut alia, in forma pauperum, seu in forma communi; alia in forma Dignum obtineantur, de quibus *in primo lib. Decretal. Tit. 3.* alia mandata dicantur, si neutri, alia si alteri; alia si nulli; alia si rationi congruit &c. quia tale initium habent; vel à diverso litigantium jure, quod neutri litigantium, vel absolute nulli, vel

alteri saltem litigantium &c. acquisitum est. Nominem autem beneficiorum in his mandatis omnia intelliguntur, quae specialiter à jure non excepta sunt, prout excepta sunt Dignitates, Personatus, beneficia curata, post literas à Papa datas erecta beneficia, beneficia patronata, electiva, unita, suppressa, & extincta, affecta seu Pontifici reservata, beneficia monocularia &c.

## §. II.

*De quibusdam conditionibus, seu qualitatibus beneficiorum, quae necessario exprimi debent, in mandatis Apostolicis, seu literis beneficiis obtinendis.*

**M**ulta ex *Lib. 1. Decret. Tit. 3.* ubi de rescriptis gratiae egimus, jam patent, & hinc breviter hic insinuari aliqua hoc & seq. §. §. sufficiet.

Primo ergo certum est, quod in mandato Apostolico de providendo, necessario fieri debeat mentio, de beneficio, si quod prius ab impetrante mandatum tale obtentum est. *c. cum teneamur 6. b. 1. & c. cum adeo 17. de rescriptis.* (ad cavendam odiosam beneficiorum uniti collatorum multipliciter) etiam si teneat, ac modicum illud beneficium sit. *c. penult. de rescriptis. & c. si motu 23. b. 1. in 6.* nisi mandatum tale motu proprio concessum esset, cum motus proprius hanc subreptionem tollat, ut dictum in *relat. Tit. 3. lib. primi Decret.*

Secundo cum mandatum tale, sive rescriptum adaptetur petitioni, consequenter in petitione, vel supplicatione, ea beneficii qualitas explicari debet, cujus



ius specialis explicatio de iure requiritur; quorum aliqua ad finem §. i. hujus sect. enumeravimus, quibus addi potest, quòd exprimi etiam debeat modus vacationis, an per obitum scilicet beneficiati, vel per resignationem &c. vacaverit, utrum regulare, an seculare sit beneficium, de quo sibi conferendo mandari vult &c. ut sciat mandans Pontifex, de quo mandat.

## §. III.

*Quomodo interpretari debeat, latè an strictè mandatum Apostolicum, in quo conceditur alicui facultas conferendi beneficia, vel in quo mandat alicui conferri beneficium, aut actum conferitur.*

**R**espondetur primò, quòd stricta interpretatio facienda sit mandati Apostolici, in quo conceditur alicui à Summo Pontifice facultas conferendi beneficia, quia talis concessio præjudicat ordinatis collatoribus, & dispensat in iure communi, quòd utrumque strictam interpretationem requirit, prout colligitur etiam ex c. Is cui 19. h. t. in 6. & quamvis gratia Principis liberalis & latissimæ interpretationis sit, si fieri debeat contra concedentem interpretatio; hanc tamen latam interpretationem non patitur in præjudicium grave aliorum, prout etiam ex regul. Cancellar. & ex Glossa in c. Tuorum §. V. permittat. de auct. & usu pallij §. ex L. 2. §. Merito ff. Ne quis in loco publico. colligitur.

Respondetur secundò, strictam etiam interpretationem faciendam Mandatorum Apostolicorum, quibus conferri

alicui beneficium mandatur. c. Quomodo 4. h. t. in 6. quia tales literæ, ut Pontifex, sunt ambiziose, de genere scilicet illorum, quæ honestè dantur & accipiuntur, quàm petuntur, & si Pontifex mandavit, ut alicui beneficium provideatur, non potest illi ius mandati beneficium curatum, dignitas, aut Canonatus &c. conferri, cum in stricto sensu beneficium hęc talia non veniant, ut ex dicto & si mandetur, ut provideatur illi beneficium in Diœcesi Frisingana v. g. potest illi conferri beneficium, in Ecclesia Cathedrali Frisingana, quia Diœcesis non venit in stricta acceptio Ecclesia Cathedralis uti patet ex Quamvis §. Quamquam. nisi colligatur, quòd ampliore genere huic voluerit facere Pontifex, colligitur, si motu proprio mandatum providendo concessit, aut si tulit beneficium, cuius executionem alteri tantum demandavit, aut si voluerit conferri usque ad certam Summam quo in casu, si unum beneficium mandatum illam non attingat, plura conferri possunt, dum Summa mandati teneatur.

## §. IV.

*Quomodo præterea alia quædam mandata Apostolica de procedendo sive rescripta beneficia sunt intelligenda.*

**P**rimò quamvis nomine beneficium curatum aut Dignitas dictum, & ex c. uli. h. t. patet, potest



nonnunquam qualitas personæ facere, ut si mandetur de Beneficio competente provideri, intelligatur in tali mandato nomine beneficii etiam Dignitas *argu. c. Pro illorum. 22. h. t.*

Secundò si mandet Pontifex, ut alicui de Dignitate, vel Personatu &c. provideatur, non potest illi provideri vi talis mandati de Dignitate, aut Personatu, cui cura animarum annexa est, aut electiva Dignitatibus, aut quæ ad patronum laicum pertinent. *c. cum in illis 16. §. Illis vero. h. t. in 6.* ed quod sub stricta acceptione Beneficii non veniat cura, aut laicalis Patronatus.

Tertiò, si mandetur à Papa alicui provideri de non Sacerdotali præbenda, de præbenda dimidia, de præbenda certi valoris &c. non potest vi talis mandati illi conferri præbenda Sacerdotalis, aut præbenda integra, aut præbenda minoris valoris &c. quamvis tali præbendâ contentus esset providendus, *c. cui de non 27. h. t. in 6.* quia mandatum in forma specifica ob strictam sui interpretationem impleri debet.

Quartò, si in mandatis talibus Apostolicis unus modus providendi exprimitur, alii modi censentur exclusi. *c. susceptum 6. de rescript. in 6.* cum ab uno expreſſo, non debeat fieri extensio in materia strictæ interpretationis, ad alium casum non expreſſum.

Quintò, si mandet Papa provideri alicui de beneficio ad plurius collationem pertinente, non potest illi conferri beneficium ad unius tantum collationem, vel præsentationem pertinens, & vice versâ &c. quia stricta interpretatio, si plures velit gravari, non vult, ut unus totum

*Compens. Pirhing.*

onus ferat, aut si velit unum gravari, non præjudicat pluribus.

Sextò, si Papa mandet alicui provideri de beneficio proximè vacaturo, ad collationem Capituli spectante, quamvis in tali mandato ea etiam beneficia comprehendantur, quæ ex peculiari consuetudine, aut statuto illius Capituli, ab uno quidem eorum, nomine Capituli tamen, conferuntur, non tamen ad ea beneficia tale mandatum se extendit, quorum collatio Dignitatibus, aut Personatibus, vel etiam certis præbendis illius Capituli &c. annexa est, *c. Mandatum 41. h. t. in 6.* plura de his Mandatis, uti & quæ Secti. 8. sequenti dicuntur, de effectibus, & usu seu executione, ac revocatione seu extinctione talium mandatorum &c. quia vix aliquis eorum hodie apud Germanos usus est, saltem quatenus concedunt gratias expectativas, seu quatenus mandata sunt de providendo alicui, circa beneficium proximè vacaturum &c. non tantum per Concordata Germaniæ, sed etiam per Tridentinum sublata, videri possunt ab illis, qui eorum scientiam habere volunt, apud Auctorem Methodi. Sit ergo omiſſa Sectione octava.

## SECTIO IX.

### De reservationibus Beneficiorum.

#### §. I.

De reservatione Beneficiorum in communi, ejusque causis & effectibus.

Reservatio Beneficiorum ex genere definiti potest, quod sit alienius beneficij

M m m

nesisij